

& Tullium audiamus; Quod munus Reipubl. afferre ma-
 jus melius vè possumus, quam si docemus atq; erudimus ju-
 ventutem, his præsertim moribus atq; temporibus, quibus
 ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atq; coercen-
 da sit, nec enim is solus Reipublica prodest, qui candidatos
 extrahit, & de pace belloq; censet, sed qui juventutem
 exhortatur, qui in tanta præceptorum inopia, virtute in-
 struit animos. Neminem vero pudere debet, sapientiæ
 studiis teneros & rudes adolescentes informare, qui qui-
 dem intueatur exempla præstantissimorum & famâ ac
 eruditione excellentissimorum virorum Kirchmanni, Hus-
 vedelij, Hæschelij, Calvisij, Becmanni, VVilkij, VVeit-
 zij &c. quos ut ego non prædicem, monumenta sua veris
 suis laudibus satis commendant. Sed redeo ad fratrem,
 quem postridie, quam ludi magister declaratus est, mala
 valetudo, que longum illi commeatum dederat, repente
 invasit. Morbus, ut Medicorum filiis videtur, ex ni-
 mia diligentia, acerrimaq; intentione & vita sedentaria
 natus in καχεξία & lentissimam febrim degeneravit,
 quam deinde marasmus subsequutus est. Nemo erat qui
 mortiferè eum egrotare suspicaretur, cum hoc morbo tan-
 quam peculiari suo ex intervallo recurrente penè toto à
 reditu in patriam tempore conflictatus sit, qui vix otio-
 sum à medicina tempus ei permittebat, ac ne ipse qui-
 dem, qui jam usu familiaris mali obduruerat & percal-
 luerat penè, gravius quicquam metuebat. Igitur quod
 tempus felicitatis ejus initium fore arbitrabamur, spes
 nostras non quidem ademit, sed tamen turbavit, &
 videntur quodammodo fragilitati nostra fata illudere.
 Parentes verò quanquam hoc tenerent, omnem fortuna
 licen.